

Dolendum vel maxime est quod cultus hic domesticus in omni fere hominum classe valde imminutus sit, et in non paucis familiis penitus extinctus, magno cum ipsarum etiam in temporalibus detrimento. Quodammodo enim seipsas profanant, et dum Deum e suae habitationis sacrario exulare faciunt, omnibus illis benedictionibus sese carere volunt, quae promisit Dominus timentibus ac diligentibus se.

I. — Patres igitur et matres familias, per suam, suorumque salutem, enixe obtestamur et provocamus, ut pietatis opera, quae domesticum cultum constituunt, in suis domibus instaurare satagant, si forte neglecta sint, et restituta omni meliori modo perficere studeant. In hoc salutiferae et christianae familiarum instaurationis opus incumbant parochi, omnesque Dei ministri, tum publicis, tum privatis adhortationibus, tum praecipue exemplo suo fideles omnes praeceuntes, et in propria domo omnia pie perficientes et a suis domesticis perfici curantes. Nihil enim reipublicae sacrae atque profanae utilius, quam familiae disciplinam secundum cor Domini constitutam esse.

II. — Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum, dixit Dominus Iesus Christus (Matth. XVIII, 20), dum promisit fieri a Patre quod illi consentientes petierint. Ne ergo divina praeventur praesentia et promissione, pietatis opera in commune peragant familiae christianae. Hac certe perfruentur assistentia illae, quae mane et vespere Deum, a quo bona cuncta procedunt, adorent, et ei devote supplicent; quae ante et post refectionem, ab illo, qui dat escam esurientibus (Ps. CXLV, 7), petant benedictionem, et referant gratiarum actiones; quae ad trinum salutationis angelicae pulsum, Dei Genitricem ve-

nerentur et invocent, memoriam Incarnationis divini Verbi recolentes; quae in communi Sanctissimum ipsius Bñae Virginis Rosarium quotidie recitent, ut olim in omnibus locis et domibus recitabatur, et ad quod faciendum semel atque iterum fideles omnes invitat SSñus Dominus Leo XIII, atque cum illo nos illos invitamus, ut sub protectione benignissimae Matris constitutae familiae, omni repleantur benedictione. Faxit Deus ut vocem nostram audiant omnes filii nostri, et pie constanterque adimpleant haec, quae memoravimus, pietatis exercitia, necnon et alia quae olim etiam in domibus fidelium fieri mos erat, uti salutationem in ingressu cum verbis *Ave Maria*, vel *Laudetur Deus*, et similia.

III. — Patresfamilias hortamur quoque, ut domus suae parietes sacris imaginibus ornent, quae fidei mysteria, et redemptionis beneficia, atque sanctorum virtutes in mentem revocent. Absint omnino a fidelium habitaculis imagines mythologicae, obscenae, et Ecclesiae inimicorum, omniaque alia concupiscentiam foventia. Sit illis aurea regula, quam dux Israelitarum fortissimus Iosue sibi proposuit: « Ego et domus mea serviemus Domino » (Iosue, XXIV, 15). Qui ita se gerant, bonus odor Christi erunt in omni loco (2. Cor. II, 15) et accipient benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo (Ps. XXIII, 5). Hac benedictione, hac misericordia ditata christiana domus, ad normam Ecclesiae et sub eius salutaribus auspiciis constituta, non terrena, sed coelestis societas verissime erit; reviviscet enim, qui pene evanuit, spiritus familiae, vita parentum ad domus interiora redibit, ut labores et sollicitudines, preces et gaudia in conspectu Dei communia sint et intima, et virtutum exemplis se

mutuo iuventia familiae membra, tranquillam agent vitam in terris, beatitudinem consequentur in coelis.

§ II

*De christiana educatione.*

I. — Omnium curarum quae parentibus incumbunt, princeps et urgentissima est filiorum a tenera aetate educatio. Ipsi primi dati sunt filiorum institutores a Deo, cui rationem reddituri sunt pro animabus illorum (Hebr. XIII, 17) non enim eis filios tradidit tantum ut corpus alant, sed ut animae curam agant, et eo maiori studio, quo maioris est pretii, utpote sanguine Christi redempta, et per baptismum adoptionem filiorum Dei assecuta. Ad hoc munus mature recteque adimplendum excitantur in Sacris Scripturis: « Filii tibi sunt? Erudi illos, et curva illos a pueritia illorum » (Eccli. VII, 25). Erudi filium tuum et recreabit te; puer autem qui dimittitur voluntati suae, confundit matrem suam (Prov. XXIX, 15, 17). Vos, patres, educate illos in disciplina et correptione Domini (Ephes. VI, 4).

II. — Cum vero ad hoc tendat educatio, ut omnes hominis vires et facultates apte ad unum finem erudiantur, qui alius esse nequit nisi finis hominis ultimus idemque aeternus, in religione fundari debet vera educatio; ideoque fides, sine qua impossibile est placere Deo, et ad consortium eius pervenire (Hebr. XI, 6) ac pietas, quae utilis est ad omnia (I. Tim. IV, 8), summo conatu inserendae ac fovendae sunt a parentibus in corde filiorum, ut ipsis vera bona temporalia praeparet, et aeterna; cum non nisi ex infantibus bene

educatis exurgere possit populus fidelis sectator bonorum operum, timens Deum, et ambulans in viis eius.

III. — A tenera quidem aetate hoc opus inchoandum est: etenim ad instar cerae mollis sunt parvulorum animae, formam quam imprimere libet, facile suscipientes: nec minime despicienda est, sed omni studio colenda illa aetas, quam Dominus ipse amplexus est, et commendavit (Marc. X, 16) ideoque curandum, ut praeveniat anima a Deo, et pro Deo creata, in ipso intelligentiae exordio monitis salutis, quibus ad religionis cultum, et ad cordis puritatem instituatur, cito occupetur divinis, ne subintret mundus et diabolus, quibus in baptismo renuntiavit. « Etenim quorum prima aetas ad religionem erudita non est, sine ulla cognitione adolescent rerum maximarum, quae in hominibus alere virtutum studia, et appetitus regere rationi contrarios solae possunt » (Leo XIII Encycl. *Nobilissima* ad Episc. Gall.)

IV. — Curam itaque assiduam gerant parochi de christiana puerorum institutione in sinu familiarum, et frequenter moneant parentes de hac gravissima obligatione, quae quidem non tantum tenerrimam aetatem respicit sed et adultiorem. In illa enim seminandum est bonum semen in terra bona innocentium cordium; in ista vigilandum ne superveniat inimicus homo et superseminet zizania (Matth. XIII, 25), et curandum summopere, ne ex naturae corruptione, spinae et tribuli pullulent, sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua (Gen. VIII, 21).

V. — Sciant parentes, non verbo solum, sed et opere et exemplo, pietatis sensus in filiorum cordibus infundere teneri, ideoque ad templum Domini eos

secum deferre, in domo christiani moris habitus illis instillare, et ante omnia fidei veritates eos docere, quin ab hoc abstinendum credant, eo quod scholas et catechesim parochialem frequentent. Filios ergo interrogent parentes circa ea, quae illis in locis audiverunt, quaeque de religione et de vita christiana scitu necessaria sunt. Non raro enim contingit, quod ab ipso sacro ministro labore non levi aedificatum fuit, destrui, si intra domesticos parietes omnis prorsus christiana institutio negligatur, vel quod peius est, pravis exemplis refellatur.

VI. — Genitoribus incessanter in animum revertent parochi gravem in filios advigilandi obligationem, ut a pravis amicis et sodalibus, atque a periculosis coetibus abstineant, nec non perscrutandi quaenam sint loca quae frequentant, graviusque denique officium filios eo non ducendi, ubi pericula contra fidem et bonos mores esse possunt.

VII. — Nec minus monendi sunt parentes, ne filios ad scholas mittant ubi minime docetur fides catholica, immo errores, et ipse atheismus in puerorum mentibus et cordibus ab haereticis et impiis magistris inseruntur. Parentes, qui ita institui permittunt filios suos, vix enormius peccatum committere possunt contra religionem, societatem et naturam ipsam; et a sacramentis arcendi sunt. Hoc vel maxime inculcandum est miserrimis his temporibus; nam « nemo certe ignorare potest, tristissimam ac deplorandam conditionem, in quam hodierna societas magis in dies prolabitur, derivare ex tot funestissimis machinationibus, quae adhibentur, ut a publicis institutionibus, ac domesticis familiis quotidie magis sanctissima Christi fides, religio, eiusque salutaris doctrina amoveatur, et

saluberrima eius vis coangustetur et praepediatur » (Pius IX, Ep. *Quum* ad Archiep. Friburg.).

VIII. — Invigilare debent similiter patresfamilias qui familiares ac servos habent, ne ullum admittant, qui pravis moribus, vel loquendi licentia, scandalum pusillis esse possit. Quos tales repererint, coerceant, et quam primum e domo eiiciant, ne modicum hoc fermentum totam familiae massam corrumpat (I. Cor. v, 6). Etiam bene moratos observent, et ad pietatem excitent, ad catechesim et ad praedicationem verbi divini eos secum deferendo, atque curantes, ut sacramenta frequentent et orationis pabulo nutriantur, illud gravissimum Pauli Apostoli effatum considerantes: « Qui suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior » (I. Tim. v, 8).

IX. — Perpendant patres et matres se, pro obligatione hac religiose expleta, gaudio ineffabili et purissimo perfusum iri, dum viderint, verbo et exemplo suo, membra familiae suae in pietate et cultu Dei, virtutumque disciplina proficere, atque ipsis esse coronam et decus. Meminerint e contra, non nisi spinas et tribulos germinaturam ipsis esse terram, corda scilicet filiorum, si desertam et inaquosam relinquerint, et demum durissimum eis timendum esse iudicium, si suos non erudierint ad iustitiam. Ne deterreantur obstaculis, quae se experturos praevident: sperent in Domino et incessanter eum adprecentur, qui bonus est animae quaerenti illum (Thren. III, 25), et dabit spiritum bonum petentibus se (Luc. XI, 13). Pro animabus filiorum fervide orent semper, praecipue si eos a via recta declinare viderint. Oravit et flevit Monica, et anima errantis filii Augustini data est ei, immo data

est Ecclesiae, cuius magnus Doctor evasit, data est coelo, ubi cum matre splendidissima fulget gloria in perpetuas aeternitates. Seminent itaque in lacrymis, et in exultatione metent. (Ps. cxxv, 6) ».

§ III.

*De missionibus.*

Praeter pias sodalitates quas non solum ad fidem tuendam, sed etiam ad pietatem fovendam S. M. Ecclesia commendat, quasi extraordinaria subsidia et gratiae Dei miserentis speciales et efficacissimae inveniuntur illa spiritualia exercitia, quae sacrae missiones appellantur. Animi desides et torpore spirituali affecti vocem proprii pastoris aliquando renuunt audire. Tunc adhibenda est illa vox extraordinaria peccatori dicens: Surge qui dormis et exurge a mortuis et illuminabit te Christus. Hinc est quod omni tempore non defuerunt in Ecclesia sacrae missiones, non solum ad propagandam fidem sed etiam ad conservandam, et pietatem fovendam, homines e coeno vitiorum revocandos et radices errorum et malarum passionum penitus extirpandas. De hoc igitur efficaci remedio spiritualis languoris, et supremo pietatis stimulo sequentia decernimus:

I. — Episcopi quibus magna incumbit obligatio pro salute animarum omni zelo et studio invigilandi, quolibet saltem biennio mittant ad paroecias aliquos sacerdotes sive regulares sive saeculares ad missiones faciendas praesertim tempore Quadragesimae.

II. — In hunc finem peropportunum est ut Episcopi aliquos sacerdotes saeculares doctrina et pietate insignes, et dicendi peritia illustres, specialiter deputent

ad missiones sacras per totam dioecesim tempore ab ipsis designato peragendas.

III. — Parochi non solum debent recipere sacras missiones, sed hortari fideles ad idem faciendum; et omni zelo illas procurent, et fructus inde provenientes omni vigilantia conservare satagant.

IV. — Si ad sacras missiones accedat populi concursus adeo magnus, ut ad confessiones excipiendas minime sufficiant Missionarii; curent parochi alios sacerdotes ex paroeciis et locis circumvicinis ad auxilium praestandum invitare.

§ IV.

*De spiritualibus Exercitiis.*

Si necesse est hominibus Deo devotis et a mundi contagione liberis quaerere aliquando aptum tempus vacandi soli Deo, ad renovandum spiritum vocationis, multo magis necessarium est ut homines qui mundanis illecebris undique tenentur, ac continuis periculis Deum obliviscendi et amittendi aeternam salutem versantur, certis diebus soli Deo vacent. Tempus speciale eligendum est, ut memorantes novissima nostra, iuxta monitum Spiritus Sancti, discamus non offendere divinam maiestatem, ut Dominus loquens ad cor nostrum in solitudine, ostendat nobis divitias Cordis sui et igne Sancti Spiritus cor mundum in nobis creans, spiritum rectum innovet in visceribus nostris. De hac igitur pia exercitatione decernimus:

I. — Saltem bis in anno dirigant Parochi spiritualia exercitia pro fidelibus iuxta regulam a S. Ignatio praescriptam octo dierum spatio, semel pro viris, et

semel pro feminis; et pro commoditate maiori fidelium turmas dividant per diversas societatis categorias.

II. — Omni vigilantia curent Parochi ut in exercitiis pro feminis nullus homo cubicula, trāsitus vel quaeque loca interiora percurrat; et ipsis Parochis et quibuscumque Sacerdotibus interdiciamus, sub poena suspensionis, ingressum ad interiora cubiculorum, nisi in casu gravissimae necessitatis, ut absolvendi in articulo mortis poenitentem, etc.

III. — In repraesentandis Passionis Christi mysteriis, quae indecora sint et ad risum moveant omnino tollantur; peccati deformitas, mortis timor, inferni horror, vel alia huiusmodi, non talibus pingantur imaginibus aut materialibus rebus repraesententur, ut detur impiis occasio irridendi maximas fidei veritates, et fideles in superstitione magis quam in vera pietate nutriantur.

IV. — Parochus non recipiat nisi numerum personarum quas in conscientia aestimet posse commode et fructuose dirigere.

V. — Parochi stimulent piam divitum caritatem ad talia exercitia spiritualia fovenda, ad sublevandam paupertatem illorum qui egestate oppressi tam efficaci remedio privantur.

#### TITULUS X.

##### DE VITIIS MAXIME FUGIENDIS.

Cum Conc. Vallisolet. optime hanc materiam pertractet, ex eo sequentia nostra facimus.

Sicut in Domino gaudemus, eique ex corde gratias agimus, eo quod quamplurimi sint, qui inimicorum insidiis obsistentes, in fide ac pietate christiana constantes et assidui perseverant, ita animi dolore vehementer

oppressi ingemiscimus ob ruinam multorum, qui a recto tramite recedentes, et falsis doctrinis imbuti, concupiscentiae carnis, concupiscentiae oculorum, et superbiae vitae, quae in mundo sunt (I. Ioann. II, 16), inserviunt; unde in profundum peccatorum venientes contemnunt (Prov. XVIII, 3), animae salutem minime curantes. Hos praevaricatores arguere debemus, et ut redeant ad cor hortari et obsecrare (Isai. XLVI, 8) pro ipsis ferventes ad Deum preces dirigere, ceterosque omnes monere, ne illis se commisceant, et eorum mores imitentur.

I. — Pro debito ergo officii nostri contra graviora quae serpunt crimina insurgentes, illaque condemnantes, omnes qui in animarum salutem procurandam coadiutores nostri sunt, obtestamur per viscera Iesu Christi, ut omni zelo nobiscum laborent ad extirpanda quantum fieri possit, horrenda vitia tot animas praecipitantia in barathrum aeternae damnationis, et pusillos a lethifera contagione praeservandos.

II. — « Hortamur etiam, ut quotannis in Dominica tertia post Pentecosten, quae immediate subsequitur octavam SS<sup>m</sup>i Corporis Christi, et festum ipsius Sacratissimi Cordis, ac Purissimo Mariae Cordi est sacra, in Ecclesiis ab Episcopo designandis, sive mane sive post meridiem expositio solemniter fiat SS<sup>m</sup>i Sacramenti, et sermo habeatur ad populum de . . . . festorum dierum profanationis peccatis, fideles excitando ad reparandas iniurias Deo Salvatori nostro, Beatissimae Virgini, et Sanctis illatas, post quem formula reparationis ab Episcopo probata ab omnibus publice recitetur. Statuimus praeterea, ut quoties impertiatur benedictio cum SS<sup>m</sup>o Sacramento, post ipsam benedictionem a Clero cum populo recitetur vernacula lingua laudatio *Deus*

*sit benedictus* etc. a Pio IX spiritualibus gratiis cum-  
lata (Rescript. cit.). »

III. — « *De suicidio*. Numerus illorum qui seipsos  
violenter interimunt, per singulos annos crescere ma-  
gno cum animi nostri dolore videmus. Indubitata qui-  
dem aliquando adsunt indicia, huiusmodi casus turbato  
rationis usui adscribendos esse; ast saepissime plena  
conscientia ac determinata voluntate tam immane scelus  
patratur. Laesa ambitio, frustrata spes, prodigalitas  
improvida, perpetratorum criminum conscientia, lascivia  
et licentia vitae, desperatio praesentium, horrorque fu-  
tutorum miseris parant laqueum, quo praeter irroga-  
tam Auctori vitae gravissimam iniuriam, semetipsos  
exponunt manifesto damnationis periculo, cognatis et  
notis diram afflictionem, et humanae societatis perni-  
ciosum scandalum praebent. »

IV. — « Ut qui erroribus et passionibus necdum  
plene excaecati sunt horrore tanti sceleris percellantur,  
praecipimus, ut Ecclesiae canones de ecclesiastica se-  
pultura suicidis deneganda serventur. Insuper in pu-  
blicis institutionibus frequenter proponatur doctrina de  
immortalitate animae, de providentia divina, de hominis  
destinatione, de merito patientiae, et de spiritu poeni-  
tentiae in adversis preferendis, de brevitate miseriarum  
humanarum, de aeternitate poenarum inferni. Et quia  
Deus est qui mortificat, et vivificat (I. Reg. II, 6),  
eum pro his infelicibus exoremus.

V. — *De duello*. Damnamus quoque cum Ecclesia  
Catholica, quae gravissimis poenis ac censuris eos per-  
cellit (Conc. Trid. sess. XXV, cap. 19, de ref. Dist. I  
Can. 19, 24, 28, De Poenitentia, lib. V, Decretal.  
Tit. 36 De iniur. et damn. dato. — Ben. XIV Const.  
*Detestabilem*), nonnullorum vehementiam, et honoris

tutamen perperam intellectum, qui propter quamdam  
famae laesionem, violentas sibi mutuo manus inferunt,  
et duello confligentes, plane vita proximum suum pri-  
vando, vel saltem corpus vulnerando aut mutilando,  
tollunt interdum id quod rapere non licet. Qui dixit:  
« mihi vindicta, ego retribuam » (Rom. IXI, 19), ius  
illatas iniurias vindicandi secundum aeternae iustitiae  
legem non cuivis privato homini, sed auctoritati dum-  
taxat publicae tribuit: actum certe esset de salute pu-  
blica, si cuique ius iniurias vindicandi competeret. »

VI. — « Quamvis tamen gravissimum peccatum  
admittunt qui, nisi in casu defensionis cum moderamine  
inculpatae tutelae, vel ex vehementi passionis impetu  
rationem perturbantis, aliquem occiderint, censuras ab  
Ecclesia in duellantes illatas non incurrunt, nisi verum  
et proprium duellum proponant, vel acceptent, sive  
duellum subsequatur, sive non. Imo licet illud non ac-  
ceptetur, censuram incurrit qui illud provocat, sicut  
etiam quicumque « complices qualemcumque operam,  
aut favorem praebentes, necnon de industria spectan-  
tes, illudque permittentes, vel quantum in illis est, non  
prohibentes (Bulla Apostolicae Sedis § 2, n. 3). »

VII. — « Curatores animarum omni studio laborent,  
ut in animis fidelium lenitas et mansuetudo christiana  
altas figat radices, qua dominante vindictae sitis in-  
dubie minuetur, atque ad Christi Domini exemplum eos  
provocent, qui pro suis etiam crucifixoribus exora-  
vit (Luc. XXIII, 34), inimicos nos diligere monet  
(Matth. V, 40), et cunctis ad se venire cupientibus in-  
culcat: « Discite a me, quia mitis sum, et humilis  
corde » (Matth. XI, 29).

VIII. — « *De ebrietate*. Constanter etiam incla-  
mandum est in perniciosissimum ebriositatis vitium,

quod damnat ipsamet sana ratio, cum hanc opprimat, hominem a suo statu deiiciat, et ad brutorum conditionem redigat; damnat religio, quae hominem ad imaginem Dei formatum docet; damnant tristes sequelae, egestas, absentia pacis et scandalum in familia, blasphemiae, rixae, crimina, aerumnae, immatura senectus et mors, atque, quod horrendum est, infelix aeternitas, cum scriptum sit: « nolite errare, neque ebriosi regnum Dei possidebunt » (S. Cor. VI, 19).

IX. — « Inculcent omnibus rectores animarum christianam temperantiam, horrorem ebrietatis infundant; verba Domini Iesu Christi, et Sanctorum Apostolorum in eorum memoriam revocantes: « Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate, et perveniat in vos repentina dies illa (Luc. XXI, 34); » « non est enim regnum Dei esca et potus (Rom. XIV, 17). » « Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus circuit quaerens quem devoret (I. Pet. V, 8). » « Manifesta sunt opera carnis, quae sunt . . . ebrietates, comessationes, quae praedico vobis, sicut praedixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur (Gal. V, 19, 21). »

X. — *De luxuria.* Ingemiscimus quoque, animo recogitantes huius nefandi vitii incrementum maxime in populosis oppidis, et scientes ubique multiplicari adulteria, fornicationes, concubinatus, lenocinia et alia carnis vitia, propter quae venit ira Dei in filios diffidentiae, et de quibus dicebat Apostolus: « nec nominentur in vobis, sicut decet sanctos » (Epes. V, 3).

XI. — « Sancta religio nostra haec omnia detestatur et condemnat; abominamur ea et nos. Abominantes pariter nobiscum nostri in pascendis ovibus Christi adiutores, omne aptum medium, quod anima-

rum zelus et pastoralis prudentia suggesserint, arripiant ad hanc luem propulsandam. Quae Apostolus docet, doceant illi: « Corpus non fornicationi, sed Domino. Nescitis quia corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? Absit. Fugite fornicationem. Nolite errare: neque fornicarii, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt » (I Cor. VI).

XII. — « Quapropter arguant parochi eos, qui in quanto honore sint, non intelligentes, iumentis insipientibus comparantur (Ps. XLVIII, 13), atque peccata carnis nullius aut levissimi momenti dictitare non erubescunt. Obsecrent et hortentur parentes ut filios ac filias vigilantissime custodiant, atque verecundiae sensum, timorem Domini et horrorem delinquendi in eorum animis a primaeva aetate inserant, et ad pietatem, devotionem erga immaculatam Virginem Mariam et sacramentorum frequentiam inclinent. Increpent eos qui in concubinato vivunt, de quo ait Tridentina Synodus: « grave enim peccatum est, homines solutos concubinas habere; gravissimum vero, et in huius magni sacramenti (matrimonii) singularem contemptum admissum, uxoratos quoque in hoc damnationis statu vivere, ac audere eas quandoque domi etiam cum uxoribus habere ac retinere » (Sess. XXIV, cap. 8, de *ref. matrim.*). Ne igitur hoc grande peccatum et scandalum in ruinam fidelium locum obtineat, et incrementa capiat, caritatis verbis primum, severioribus monitis postea, qui lapsi sunt coerceantur; quod si pastoralia monita optatum effectum minime obtineant, et scandalum manifestum foret, nec requisita auctoritas